

nem D. Thomæ, et multorum Thomistarum, qui addunt non posse hominem justificatum in ætate adulta consequi gloriam, nisi per meritum de condigno, vel saltem in tempore proxime sequenti, vel per continuationem ejusdem actus, vel per repetitionem similis; et ita sentire videtur Richardus in 4, dist. 14, artic. 6, quæst. 1, ad 1. Et ratio est, quia, licet non præcedat actus charitatis, actus ille sufficienter formatur per gratiam; ergo si ille idem actus informis habuit proportionem sufficientem ut subjectum diserneret ad infusionem gratiæ, saltem cum sacramento, idem jam formatus habebit sufficientem proportionem ad meritum de condigno.

11. *Extenditur inductio ad alias morales virtutes infusas minus perfectas.* — Tandem ex his potest fieri inductio ad alias virtutes morales per se infusas. Nam, licet non sint tam perfectæ sicut præcedentes, neque ita immediate attingant Deum, etiam ut objectum cui, nihilominus, cum ex dictis constet non esse necessarium ad meritum de condigno, ut sit actus perfectissimus, neque ut attingat Deum ut objectum quod, nec ut habeat summam proportionem cum præmio beatitudinis, ex quadam paritate generali recte colligimus etiam actus aliarum virtutum moralium per se infusarum esse aptos ad idem meritum, quia sunt ejusdem ordinis, et quia sunt media proportionata, et quasi viæ tendentes ad illum finem ac terminum; nam, licet non sint viæ ita directæ, ut sic dicam, inde inferri non potest esse incapaces talis meriti, etiamsi per se ac præcise fiant, sed ad summum non esse tanti meriti secundum species suas. Quod ideo addo quia in individuo interdum, omnibus pensatis, possunt esse majoris meriti, ut patet, si actus heroicus fortitudinis, castitatis, justitiæ aut misericordiæ, ad remissum actum charitatis comparetur; nam certe, secundum æstimationem moralem, plus apud Deum valebit, cum ab amico, et ex motivo supernaturali fiat; ratio autem meriti attendenda est secundum moralem actus æstimationem; non est ergo cur isti actus per se, et seclusa alia relatione quasi extrinseca, non sint meritorii de condigno. Objectiones autem, quæ contra hanc partem fieri possunt, in sequenti capite dissolvemus.

CAPUT X.

UTRUM ACTUS VIRTUTUM MORALIUM ACQUISITARUM DE SE SUFFICIENT AD MERITUM DE CONDIGNO, VEL RELATIONEM SUPERNATURALEM REQUIRANT, ET QUÆ ILLA SIT?

1. *Vasquez aliter quam cæteri opinionem hanc tuetur.* — Supponimus sermonem esse de his actibus, quantum est ex parte ipsorum, et concurrentibus aliis conditionibus requisitis, et præsertim gratia ex parte personæ operantis. Quo supposito, est prima sententia, affirmans omnes actus virtutum moralium acquirarum esse meritorios de condigno in homine justo, etiamsi fiant sine supernaturali relatione vel motione non solum charitatis, sed etiam cujuscumque alterius virtutis infusæ. Ita tenet Soto, lib. 3 de Natur. et grat., cap. 4; et sequitur Medina 1. 2, quæst. 18, art. 9, dub. penult., et quæst. 114, art. 4; et tribui etiam solet Victoriæ, imo et divo Thomæ et antiquis Thomistis, de quibus postea dicemus; et pro illa acriter pugnat Vasquez, 1. 2, disp. 207, eam tamen modo longe diverso defendit. Nam priores auctores supponere videntur ad meritum de condigno, non esse per se ac simpliciter necessarium auxilium gratiæ actualis, sed sufficere habitualement gratiam, quæ, dignificando personam, dignificat etiam omnes bonos actus ejus, et reddit illos gratos et acceptabiles Deo, ideoque, licet inferioris ordinis sint, elevat illos ut sint apti ad meritum de condigno, etiam essentialis præmii. Unde quod Concilia et Patres dicunt, omne opus meritorium esse ex influxu gratiæ, putant sufficienter salvari per hunc quasi moralem influxum habitus gratiæ in hujusmodi actus. At vero P. Vasquez negat hoc sufficere; putat vero hujusmodi actus fieri non posse unquam sine actuali auxilio gratiæ, quod ex hac parte ad meritum de condigno sufficiat; in reliquo vero dicti auctores conveniunt.

2. *Fundamentum utrisque commune.* — Fundamentum illis commune est illud fere quod nos supra adduximus, ad probandum hæc moralia opera esse meritoria de condigno, quia illis promittitur beatitudo, et ex illis proponitur nobis forma futuri judicii. Cui fundamento additur quod Scriptura non restringit has promissiones ad actus morales virtutum per se infusarum, ut ex absoluto modo loquendi Scripturæ constat; non est ergo nobis

licitum illam restrictionem addere, cum neque a Conciliis, neque a sanctis Patribus addatur. Præsertim cum de his virtutibus moralibus infusis vix aliquid apud sanctos Patres reperitur, et inter Scholasticos incertum sit utrum dentur; ergo cum certum sit hos actus morales esse meritorios, non est ad fundamentum incertum de illis virtutibus revocandum. Et simili argumento excludunt necessitatem alterius relationis, quia neque ex Scriptura, vel ex aliis principiis fidei, neque ex natura rei, seu ratione naturali necessitas illius relationis ad meritum ostendi potest.

3. *Opinio secunda parum discrepans a priori.* — Videatur insuper Capreolus, d. 40, art. 1. — Secunda opinio, parum differens a præcedenti, docet hos actus posse quidem esse meritorios de condigno, negat tamen ad hoc sufficere habitualement gratiam, vel charitatem personæ, sed necessarium esse ut aliquo modo per charitatem referantur, propter fundamenta quæ statim in aliis opinionibus referemus. Addit vero hæc opinio sufficere relationem per aliquem actum universalem etiam omnino præteritum, quam nos objectivam vocavimus. Ita sentit Capreolus in 2, d. 41, quæst. 1, art. 1. conc. 2; et Cajetanus 1. 2, quæst. 21, art. 3, quatenus sentit in homine justo omnem actum esse meritorium vel demeritorium. Addit vero hoc pendere ex alia quæstione de præcepto charitatis, quam remittit in quæst. 100, ubi in artic. 10 iterum illam remittit in 2. 2, quæst. 44, artic. 4, ubi nihil de ea dixit. In prioribus autem locis simul sumptis indicat sufficere ad meritum operum aliarum virtutum, quod homo impleverit charitatis præceptum, quia *quilibet* (inquit) *habens charitatem, ex hoc ipso quod est in charitate, diligit Deum ex toto corde, habens ipsum pro ultimo fine, ac per hoc sui ipsius, et consequenter suorum omnium finem, alioqui in charitate non esset. Et idcirco* (addit) *non oportet piamentes scrupulo agitari, quomodo præceptum impleant, ut omnia in gloriam Dei faciant.* In quibus verbis videtur vel cum prima opinione sentire, vel ad summum postulare tantum unum actum, qui ad implendum charitatis præceptum sit sufficiens. Unde etiam 1. 2, quæstione 109, art. 9, sentit posse hominem justum facere aliquod opus bonum et meritorium sine auxilio gratiæ. Et huic sententiæ favet etiam divus Thomas in 2, dist. 40, quæst. 1, art. 5 ad 3, quamvis ad 6 aliquantum recedere videtur, et quæst. 2 de Virtutibus, seu unica de Charitate, art. 3, præ-

sertim ad 3 et 9, ubi ad rationem meriti requirit in actibus virtutum moralium informationem charitatis, sentit autem sufficere informationem per ipsum habitum, vel ad summum per aliquem generalem actum ipsius. Et hanc opinionem in re sequitur Valentia, 2 tom., disp. 8, quæstione sexta, puncto tertio, § *Porro*, cum sequentibus, ubi sub disjunctione ait, vel quod antea ille actus universalis præcesserit, vel quod operans sit ita affectus erga Deum, ut quicquid boni facit, sine difficultate in Deum referret, si in memoriam veniret.

4. *Fundamentum ejus triplex.* — Fundamentum hujus sententiæ imprimis supponit aliquam relationem charitatis, ab operante factam, esse necessariam ad meritum, in quo convenit cum sequenti sententia, ubi illius probationes afferemus. Deinde addit hanc relationem generalem seu objectivam esse sufficientem, quod suaderi potest primo, quia ille actus præcedens sufficit, ut boni actus postea facti in supernaturalem finem referantur; nam juxta doctrinam divi Thomæ 1. 2, quæst. 1, artic. 6, ad 3: *Virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu non cogitur*; ergo etiam prima intentio hominis justificati, qua se convertit in Deum, se et omnia sua in illum referendo, sufficere ut omnia bona opera subsequenter ex vi illius intentionis in finem ejus referantur. Secundo, potest hoc confirmari, quia illa voluntas de se est efficax, et non est retractata, ut supponitur; ergo sufficere ad moralem relationem subsequentium actuum, etiamsi nulla ejus memoria, vel alius physicus effectus perseveret; nam hæc relatio moraliter potius quam physice pensanda est. Tertio, favet huic sententiæ, quod mitigat rigorem eorum, qui majorem relationem requirunt, et satisfacit Scripturis, vel Patribus, qui aliquam relationem postulare videntur, ac denique quia hoc satis est ut talia opera aliquo modo supernaturali fiant.

5. *Opinio tertia asserens non sufficere relationem objectivam, sed virtualement.* — Bellarminus, lib. 5 de Justific., c. 15; Lorca, disp. 48 de Grat. — Tertia sententia supponit etiam necessariam esse ad meritum operum moralium relationem charitatis, et nihilominus docet illam objectivam relationem non sufficere, unde concludit esse necessariam relationem virtualement. Hanc opinionem sequuntur aliqui moderni, et in hunc modum interpretantur

sententiam D. Thomæ et antiquorum Theologorum, qui relationem actualem charitatis postulare videntur. Ex quibus Bonaventura in 2, d. 41, art. 1, quæst. 3, ad ult., satis expresse ita suam sententiam explicat, et indicant alii statim citandi. Et quidem si relatio charitatis supponatur necessaria per actum aliquem operantis, satis potest hæc sententia persuaderi contra præcedentem Quia si actus fuit universalis, et ita præcessit ut nec memoria, nec virtus aliqua ejus relicta sit, nihil omnino influit in actum particularem qui nunc fit, et ideo talis intentio extrinseci finis non sufficit ad dandam actui novam speciem bonitatis vel malitiæ ex tali fine, quia revera non fit propter illum finem. Ergo similiter in præsentem talis intentio non sufficit ad meritum, si alioqui intentio operantis necessaria est. Et confirmatur, quia ille homo perinde se habet in præsentem tempore in ordine ad præsentem operationem, ac si præcedens actus non præcessisset, sed tantum haberet charitatem in habitu, quia ille præteritus actus solum in habitu manet, quem fortasse auxit; ergo, si solus habitus charitatis, etiam intensus, ad meritum actus non sufficit, profecto neque actus ille præcedens sufficit, vel si ultra habitum non est necessaria virtualis relatio, neque ille primus actus necessarius est. Multoque minus sufficere potest illa dispositio operantis, quæ per illam conditionalem explicatur, quia ita est affectus ad Deum, ut, si memoriæ occurreret, statim ad illum referret opus quod facit. Hoc, inquam, non sufficit, si ultra habitum requiritur alia relatio ex parte operantis, quia Deus non judicat hominem ex his quæ facturus esset, si hæc vel illa occasio occurreret, ut supra, lib. 1 et 3, contra Semi-pelagianos ostensum est; ergo neque illa dispositio hypothetica, ut sic dicam, potest facere actum meritorium apud Deum; nec supplere defectum relationis, quæ necessaria supponitur. Sicut, licet gentilis ita sit affectus ad idola, quod, si memoriæ occurreret, quando dat eleemosynam, illam referret ad idola, non ideo eleemosyna esset demeritoria apud Deum, tanquam relata ad idola; ergo multo minus potest sufficere similis dispositio ad meritum præmii apud Deum, quia major perfectio ad meritum, quam ad demeritum requiritur. Unde perinde est dicere illam dispositionem sufficere ad meritum, ac dicere solum habitum gratiæ et charitatis satis esse. Nec refert quod cum illa dispositione jungatur actus generalis omnino præteritus, quia, ut dixi,

etiam ille respectu præsentis operis nihil addit habituali dispositioni. Sicut in exemplo adducto de gentili, etiamsi in illo præcessisset similis relatio universalis ad idola, si, eo tempore quo fit operatio, nullo modo movet ad illam, nec per se nec per virtutem relictam, non reddit actum demeritorium, ut supra lib. 1 est probatum. Igitur, data hypothesi quod relatio operantis ex charitate est necessaria ad meritum boni operis moralis, verissimum profecto est illam relationem objectivam non sufficere.

6. *Probatum primo.* — Superest ergo probandum id in quo hæc duæ sententiæ conveniunt, scilicet, ad hoc meritum necessariam esse relationem charitatis ex parte operantis. Quod probatur primo ex communi sententia Theologorum; nam D. Thomas, dicta quæst. 114, art. 4, dicit, *meritum vitæ æternæ primo pertinere ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur*; et in 3, d. 30, art. 5, ad 1, dicit gratiam esse principium merendi remotum, charitatem vero esse principium merendi proximum, et quæst. 26 de Verit., art. 6, ad 8, dicit radicem meriti esse charitatem; imo addit illi respondere præmium essenziale, operi autem ex suo genere respondere præmium accidentale; et quæst. 2 de Verit., seu unica de Char., art. 2, ad 9, dicit omnes virtutes habere quamdam formam communem a charitate, secundam quam sunt meritoria vitæ æternæ. Et quæst. 6 de Potent., art. 9, dicit, *omnes virtutes habere efficaciam merendi a charitate, quæ nos unit Deo, a quo meremur, et perficit voluntatem, per quam meremur*. Et plura similia loca apud D. Thomam inveniuntur. Idem sentit Alensis, 2 part., quæst. 86, memb. 3, art. 2, et 3 part., quæst. 24, memb. 4, articul. 5, alias quæst. 61, memb. 6, art. 3, ad ultim., et 4 part., quæst. 101, memb. 3, art. 3; et idem sentit Bonaventura, loco supra citato, et Scotus, et Gabriel, in eadem distinct.; et Durandus, distinct. 40, quæstion. 2, et in 3, dist. 23, quæst. 8, et ibi Paludanus, quæst. 4, art. 3, et Almain., dist. 48, quæst. 1.

7. *Secundo ex Scriptura.* — Secundo probatur, quia in Scriptura promissio beatitudinis præcipue fit charitati, ut in cap. 8 allegatum est; ergo, cum non tribuatur charitati, ut elicenti tantum, oportet ut saltem ad illam pertineant aliquo modo, scilicet, vel elicentem, vel saltem imperantem. Ad hoc

enim videtur alludere Apostolus, dicens 1 ad Cor. 13: *Charitas patiens est, benigna est, etc.*, et adjungens: *Si charitatem non habeam, nihil sum, nihil mihi prodest*, quod de charitate non solum inherente, et quasi otiosa, sed de operante, vel elicendo, vel saltem imperando. Et hoc recte confirmat illud ad Galat. 5: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*. Oportet ergo ut fides excitet charitatem, et per illam alias virtutes moveat. Denique Jacobus, cap. 1: *Beatus (inquit) vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Ubi propter patientiæ opus dicit dandam esse coronam diligentibus promissam, quia tunc patientia est illo præmio digna, quando ex charitate exhibetur.

8. *Tertio, ex Patribus.* — Tertio, idem sentire videntur Patres, quoties de nostris meritis vel piis operibus ad vitam æternam conducentibus loquuntur, nam hoc tribuunt tantum operibus, quæ procedunt aliquo modo a charitate, quam Spiritus Sanctus in cordibus nostris infundit. Quod quidem probari imprimis potest illis testimoniis, quibus supra probavimus actualem influxum gratiæ Christi ad singula meritoria opera necessarium esse; hoc enim maxime solet a Patribus probari, quia, ad diligendum Deum, hujusmodi auxilium necessarium est, ut videre licet in Concilio Milevitano, c. 4, et in Augustino, lib. de Gratia Christi, c. 18, ubi contra Pelagium ait non esse eandem radicem bonorum et malorum operum, nam illorum est cupiditas, teste Paulo, ad Timoth. 4, *ubi admonet (inquit) debere intelligi radicem bonorum omnium esse charitatem*; diximus autem supra hoc esse intelligendum de operibus pietatis, inter quæ maxime opera meritoria computantur. Unde in lib. de Corrept. et grat., cap. 2, explicando quomodo hæc gratia sit necessaria ad omne bonum, ait, *non solum ut, monstrante ipsa, quid faciendum sit sciunt, verum etiam ut, præstante ipsa, faciant cum dilectione quod sciunt*. Et ideo in lib. de Grat. et lib. arb., cap. 17, charitatem ponit ut radicem omnium bonorum operum, et in illa maxime necessitatem gratiæ ad bene operandum constituit; et lib. de Spir. et litt., c. 14, in fine, cum dixisset, *mandatum non servari* (utique fructuose), *nisi fiat ex amore justitiæ*, rationem subjungit, dicens: *Non enim fructus est bonus qui de charitatis radice*

non surgit; et adducit verba Pauli ad Galat. 5 supra citata; et lib. de Morib. Ecclesiæ, cap. 15: *Spiritus (inquit) ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino virtutem esse affirmaverim, nisi summum amorem Dei*. Et inde consequenter virtutes omnes, utique ad promerendam beatitudinem fructuosas, per amorem Dei definit, quod, cum de amore elicente intelligi non possit, necessario videtur intelligendum saltem de amore imperante.

9. *Quarto rationibus.* — Quarto, addi possunt rationes. Prima, quia ista opera moralia natura sua non tendunt in proprium finem charitatis; ergo, ut in illum tendant, necesse est ut ab operante per charitatem in illum referantur; ergo eadem relatio est ad meritum talium operum necessaria. Probatum hæc ultima consequentia, quia ut opus sit proportionatum tali merito, oportet ut tendat in illud bonum, quod est maxima merces, tanquam medium in suum finem. Secunda, quia hoc meritum de condigno maxime fundatur in amicitia supernaturali inter Deum et hominem, ut infra videbimus; sed hæc moralia opera non sunt actus amicitiae, nisi ab ipso amore supernaturali aliquo modo procedant; ergo indigent hujusmodi relatione. Tertia ratio est supra tacta, quia per hoc meritum augetur gratia et charitas; sed illa non augetur nisi per opera quæ sint aliquo modo sua; non possunt autem esse a charitate, nisi ab illa aliquo modo procedant, saltem per imperium seu relationem, et consequenter neque a gratia sanctificante esse possunt sine tali imperio charitatis, quia nec procedunt ab aliis virtutibus connaturalibus ipsi gratiæ, neque gratia ipsa immediate in illa influit.

10. *Opinio quarta requirens prædictam relationem quando opus faciendum est.* — *Immerito tribuitur Durando.* — *Et Gabrieli.* — Atque ex his testimoniis et rationibus orta est quarta opinio, affirmans non sufficere relationem per actum præteritum charitatis, etiamsi proxime præcesserit, et in particulari fuerit de tali opere, desiderando vel proponendo illud facere ex amore Dei, sed oportere ut actus amoris simul cum morali opere concurrat, et ad illud moveat, ipsumque in ultimum finem referat. Quæ sententia solet tribui Durando in 2, d. 40, quæst. 2, quia dicit ad meritum non sufficere quod actus possit ordinari in finem charitatis, sed quod de facto ordinetur. Sed hoc sufficienter potest intelligi de ordinatione virtuali, nam multi ex aliis auctori-

bus eodem modo loquuntur, et idem Durandus in 3, dist. 23, quæst. 8, similiter dixit actus esse meritorios, quia imperantur a charitate, quod non oportet intelligi de imperio immediato per actum formalem charitatis, qui tunc existat; nam sufficienter intelligitur de actu præterito, si tunc virtute imperet. Tribuitur etiam hæc opinio Gabrieli in 2, d. 44, art. 3, dub. 2. Sed oppositum expresse docet, distinguens relationem virtutalem ab actuali, et dicens, licet sit certius actualem conferre ad hoc meritum, tamen esse valde probabile virtutalem sufficere.

11. *Est sine auctore et improbabilis.* — Unde nullum invenio Theologum qui hanc quartam sententiam docuerit, et ideo non solum minus probabilem, ut indicat Gabriel, sed etiam improbabilem illam judico, quia nec probabili auctoritate nititur, ut dixi, nec etiam video probabile illius fundamentum. Solum enim excogitari potest alterum ex duobus. Unum est, quod hæc relatio virtualis impossibilis sit, aut insufficientis ad moralem modum operandi. Et hoc est omnino improbabile. Omnes enim Theologi et philosophi morales hanc virtutalem relationem admittunt; item experientia satis illam ostendit. Unde dixit Gabriel supra, facile posse unumquemque de se cognoscere an ex formali vel virtuali intentione alicujus finis operetur; item quia alias oporteret in conficiendis sacramentis, in contractibus, et aliis similibus actionibus, habere semper intentionem formalem et actualem, quod dicere absurdissimum est, quia cum illud sit moraliter impossibile, plures effectus sacramentales, vel morales, qui ex intentione hominis pendent, in dubium revocarentur. Denique quia in aliis causis non repugnat aliquid fieri in virtute alicujus causæ quæ præcessit; cur ergo id repugnabit in humano imperio seu intentione? Aliud fundamentum illius sententiæ esse posset, quod virtualis relatio charitatis, licet sit possibilis, non sufficiat ad meritum. Et hoc etiam improbabile est, quia conditiones necessariæ ad meritum ex doctrina Ecclesiæ juxta Scripturas sacras accipiendæ sunt; sed omnia quæ Scripturæ ac Patres docent de necessitate charitatis ad meritum, satis superque verificantur, si relatio virtualis intercedat; imo minor etiam potest sufficere, ut videbimus; ergo alienum est ab omni ratione majorem exigere.

12. *Opinio quinta statuens nullam omnino relationem sufficere virtutibus naturalibus ad*

meritum. — Præter has opiniones, esse potest quinta, docens nullam relationem charitatis etiam actualem, cadentem in opera moralia virtutum acquisitarum, sufficere, ut illa habeant proprium aliquid meritum de condigno. Quam opinionem tenent auctores allegati in c. 8, in prima opinione, et illi soli. Et quamvis eorum opinio non possit de aliis actibus extra charitatem in universum defendi, ut ibi ostendimus, nihilominus in his actibus acquisitis videtur posse habere aliquam probabilitatis speciem, quia ista opera sunt ex sua specie et substantia inferioris ordinis, et ideo, quantumvis ab operante referantur, nunquam possunt esse proportionata supernaturali fini, maxime quoad meritum de condigno consecutionis seu retributionis ejus. Et declaratur in hunc modum, quia quando quis facit eleemosynam, referendo illam in finem charitatis, verum quidem est mereri de condigno per illam relationem charitatis, quia illa est actus charitatis extrinsece denominans actum eleemosynæ, tamen inde non potest effici meritorius ipse actus eleemosynæ intrinsece (ut sic dicam) et per proprium ac distinctum meritum, quia neque illud ex se habet, ut supponitur, neque actus imperans potest illud dare, tum quia nihil intrinsecum illi communicat, sed solum extrinsecum denominationem; tum etiam quia non potest unum et idem imperium charitatis, et per se mereri suum præmium, et simul conferre alteri actui, ut novum præmium mereatur.

13. *Quid in proxima opinione in præsentia statuatur.* — Circa hanc autem opinionem advertere oportet, aliud esse quærere an morales actus acquisiti imperati a charitate sint meritorii vitæ æternæ simpliciter loquendo; aliud vero esse interrogare quale sit illud meritum, vel quid addat interno actui charitatis. Nam hæc posterior quæstio difficilior est, et resolutionem habet minus certam, et ideo de illa speciale caput instituemus. Nunc solum prius punctum tractamus, in quo hæc ultima opinio nullo modo admittenda est; quid vero de omnibus sentiamus per sequentes assertiones exponemus.

14. *Assertio prima communis: actus virtutis naturalis, si modo aliquo supernaturalizentur, sunt meritorii.* — Dico ergo primo: actus moralium virtutum acquisitarum, exerciti aliquo modo supernaturali a justis, sunt meritorii de condigno vitæ æternæ. De hac assertionem, ut dixi et censeo, dubitari non po-

test, nam in illa conveniunt omnes Scholastici, qui absolute id affirmant de actu eleemosynæ, vel alio simili, si aliquo sufficienti modo ex gratia et charitate fiat, sicut fieri posse supponitur. Et nihil distinguunt de actibus elicitis a virtutibus per se infusis vel acquisitis; imo plures illorum virtutes morales per se infusas non admittunt; et qui illas agnoscunt, indifferenter loquuntur, quod est signum de omnibus loqui. Et idem argumentum fieri potest de Scriptura et Patribus, ac de Concilio Tridentino. Ratio vero propria pendet ex declaratione hujus meriti, et ideo nunc solum utimur generali ratione, quia isti actus, sic facti, sunt boni, et ex vera gratia libere facti; ergo, supposito statu gratiæ in persona operante, nihil illis deest ad meritum de condigno, juxta sententiam Concilii Tridentini supra in simili inductam. Et confirmatur, nam actus externi, si a sufficienti interno imperantur, sunt simpliciter meritorii; ergo multo magis actus interni harum virtutum dicendi sunt simpliciter meritorii, si ex imperio supernaturali fiant.

15. *Assertio secunda: non supernaturalizantur ex solo subjecto.* — *Responsio aliorum ut Vasquez, etc., ad probationem factam impugnantur.* — Dico secundo: ut hujusmodi actus morales sint meritorii, non satis est quod fiant ab homine grato, si non fiant ex aliquo motivo et imperio supernaturali. Probatur, quia, si aliter fiat tale opus, scilicet, ex pura ratione et honestate naturali, sine actuali influxu gratiæ fieri potest; ergo id non satis est ut sit meritorius de condigno. Probatur consequentia, quia ostensum jam est nullum actum meritorium fieri posse sine speciali auxilio gratiæ. Unde non video qua probabilitate Soto et alii auctores, qui concedunt posse justum aliqua moralia opera ordinis naturalis facere sine auxilio gratiæ, concedant talia opera esse meritoria de condigno; hoc enim ex principio posito in c. 7 vehementer improbat, et ex mox dicendis amplius impugnetur. Alii vero auctores, qui negant talem actum bonum posse fieri ab homine justo sine auxilio gratiæ, putant se effugere vim rationis, negando illius antecedens, quia talis actus fieri non potest sine cogitatione congrua, quam verum gratiæ auxilium esse putant. Verumtamen in lib. 4 ostensum est illam non esse gratiam, nisi nomine tenus, sicut bonum ingenium et temperamentum corporis aptum ad virtutem dici potest gratia; non est au-

tem illa gratia quæ per inspirationem peculiarem Spiritus Sancti datur, de qua Concilia et Sancti loquuntur. Unde addo quod, licet illa cogitatio congrua detur aliquando ex speciali providentia Dei, ultra id quod debetur generali ordini causarum naturalium, et tunc majorem habeat rationem gratiæ, nihilominus illam solam non satis esse ut actus ab illa procedens sit meritorius de condigno alicujus meriti supernaturalis. Probatur primo, quia talis actus in homine impio vel peccatore non est meritorius de congruo alicujus auxilii vel doni supernaturalis, ut in eodem lib. 4 et tertio contra eosdem auctores ostendimus; ergo nec in homine justo sufficit ad meritum de condigno supernaturalis præmii; nam eadem est proportio, ut ex dicendis infra de merito de congruo constabit. Secundo, quia ille actus, licet procedat ex cogitatione congrua liberaliori modo data ex parte Dei, non est moraliter melior, nec in majorem laudem hominis operantis cedit, quam esset, factus ex simili cogitatione congrua, orta ac debita ex solo generali cursu causarum naturalium, ut contingere potest, vel in alio homine justo, vel in eodem in alia occasione; sed quando cogitatio congrua habetur hoc posteriori modo, actus non est meritorius, ut ex jam probatis supponimus; ergo neque priori modo factus. Major satis nota est ex dictis libro primo, quia illa major liberalitas ex parte Dei non est circumstantia operis ut ab homine procedat, sed est modus operandi Dei, qui non immutat modum operandi hominis, neque illi aliquid addit. Consequentia vero probatur, quia meritum fundari debet ex parte actus in bonitate operis, et in morali modo operandi hominis.

16. *Ostenditur tertio, ac tota ipsa assertio confirmatur primo.* — Tertio, moveor maxime tam ad hanc partem quam ad totam assertionem confirmandam, quia de ratione operis meritorii est, ut sit ex fide; illa autem cogitatio congrua alioqui mere naturalis, sive proveniat tanquam debita aliquo modo ex communi cursu causarum naturalium, sive ex aliqua Dei liberalitate, non est fides, ut per se patet; ergo actus ex vi illius tantum factus non est ex fide, ac subinde non est meritorius de condigno. Solum superest probanda major proportio, quæ videtur sufficienter probari ex illo ad Galatas 5: *In CHRISTO JESU, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per*